

bent pro objecto, et ubi sistunt, tamquam in re consecuta: ergo de tali fine loquitur D. Thomas in illo argumento, quia illud adducit et probat ex dicta auctoritate philosophi.

XVI. Et rursus non adduceret D. Thomas argumentum ad rem, si loqueretur de tali ultimo, quia intendit probare, quod omnes actiones sunt propter ultimum finem, et in omnibus agit homo propter finem, et in istis actionibus, etiam comprehendit eam, quæ potest esse ultimus finis, ut patet in illis verbis ultimis solutionis ad secundum: « Quidquid homo faciat, verum est dicere, quod agat propter finem, etiam agendo actionem, quæ est ultimus finis. » Ubi per ly actionem, quæ est ultimus finis, vel intelligit D. Thomas actionem, quæ est ultimus finis, ut res, vel ut assecutio rei, et finis quo. Si intelligit illam, quæ est finis, ut res; de tali ergo fine loquitur D. Thomas non de fine quo: si intelligit illam, quæ est finis ut quo, seu assecutio ejus: ergo quando dicit, quod agit homo propter finem, etiam quando agit actionem, quæ est ultimus finis, sensus est, quod agit propter finem, etiam quando agit actionem, quæ est assecutio finis: ergo intendit D. Thomas quod omnes actiones, etiam quæ sunt assecutio finis, sunt propter finem: ergo propter finem objectum, qui est finis, ut res: solum enim propter talem finem potest esse ipsa actio, quæ est assecutio finis. Intendit ergo probare, quod omnes actiones humanæ sunt propter finem objectum; ergo quando dicit, quod aliquæ actiones non sunt propter finem, quia ipsæ sunt finis, loquitur de fine objectivo, propter quem dicit, quod non sunt tales actiones. Ergo etiam quando in solutione argumenti distinguit, quod actiones elicite non possunt esse finis ultimus, et primum appe-

tibile, sed si aliqua actio potest esse finis ultimus, debet esse imperata, loquitur semper de fine ultimo, ut res, non de fine ultimo quo, seu de assecutione finis.

XVII. Ad ea vero, quæ in contrarium objiciuntur, ex quorum solutione, explicata manebit clare ratio, et fundamentum D. Thomæ in hoc dicto respondetur ad primum, loqui D. Thomam hic de fine ultimo pro ipsa re, seu pro fine objectivo, quando negat actum elicitem a voluntate, posse esse finem, non solum de ultimo fine vero, qui est Deus, sed de quocumque fine ultimo, etiam apparenti: repugnat enim, quod ipse primus actus voluntatis, sit primum appetibile, alias esset objectum suimet, vel non haberet objectum. Et quando instatur quia actus imperatus, etiam non est finis ultimus verus, qui est Deus, si autem potest esse finis ultimus apparens, etiam actus elicitem a voluntate, poterit sic esse finis ultimus, respondetur in primis D. Thomam non absolute affirmare, quod actus imperatus potest esse finis ultimus, sed sub conditione, si aliqua actio humana, potest esse finis ultimus, illa erit imperata. Et hoc ideo, quia voluntas non potest habere pro fine ultimo, ipsum amare in se, sed frui objecto, et mediante appetitu, ad aliquod objectum tendere, quia appetitus pondus quoddam, et inclinatio est, et hæc semper in rem aliquam, ut in objectum tendit. Impossibile autem est, quod ponderatio, seu inclinatio, sit ipse finis qui, seu res, et objectum in quo quiescit aliquis, ut in fine, quia ponderatio de se ordinatur ad quiescendum in aliquo, tamquam in centro, ad quod ponderat, non in se ipsa sistit. Et ita non se habet, sicut actio citharizandi, in qua sistit intentum artis citharizandi; sed se habet, ut actio, quam objectum attingitur, et in eo tam-

quam in re, et fine objectivo, quiescit voluntas. Ipse ergo actus a voluntate elicitem, hoc ipso quod ponderatio, et inclinatio est, non est finis qui, nec finis ut res, sicut gravitatio lapidis non est centrum ad quod tendit lapis. Quare directe probat D. Thomas non posse actum elicitem a voluntate esse ipsum finem, qui quæritur, et intenditur tamquam res; sed quod si aliqua actio rationem finis induit, illa debet esse imperata, non elicita, id est, alterius potentiæ a voluntate, vel diversus actus ipso amore finis. De quo postea dicemus.

XVIII. Deinde cum urgetur, quod hoc modo posset etiam ipse actus elicitem esse finis ultimus, dicitur esse disparem rationem de actu elicito, qui est velle, et de actu imperato, qui non est velle, sed ab alia potentia quam a voluntate procedit; nam actus elicitem, qui est velle, necessario debet sistere in aliquo objectivo, quod non sit velle, sed aliquid aliud, præter velle. Licet enim voluntas, quia reflexiva est, possit per unum actum velle alium (concupiscit enim anima desiderare, sicut scriptum est: *Concupiscit anima mea, desiderare justificationes tuas.* Psalm. cxviii) tamen illud velle reflexe volitum, et attactum, non est de altero velle, sic enim esset processus in infinitum, nec sisteremus in aliquo fine, sed est de aliquo objecto, quod non sit velle, si quidem est actus voluntatis directus, non reflexus; reflexus enim supponit directum, directus autem actus non potest habere pro objecto, alium actum voluntatis, sic enim esset reflexus. Habet ergo pro objecto, aliquid præter ipsum velle, et sic bene infertur, quod primum appetibile, seu primum objectum, et finis ultimus voluntatis, tamquam objectum, et res volita, non potest esse ipsum velle. Cæterum actiones

imperatæ aliarum potentiarum extra voluntatem, possunt se habere, ut objectum volitum directe, et non solum reflexe a voluntate, et sic possunt esse objectum ejus, et finis. Et si dicas, quod non possunt etiam esse primum objectum, et finis ultimus, ob rationem factam, quia etiam istæ actiones aliarum potentiarum, ut videre, audire, etc. habent objectum circa quod versentur: ergo etiam ipsæ non possunt esse primum objectum, sicut nec ipsum velle, respondetur quod sive illæ actiones versentur circa aliquam materiam, vel objectum a se distinctum, sive non hoc non tollit, quod ipsa etiam actio objectum voluntatis esse possit, cum sit aliquid extra ipsum velle, et sic jam in ipsa actione, extra se, invenit voluntas aliquid per modum objecti externi in quo possit ultimum finem ponere, tamquam in objecto, et re volita, ita quod non solum amet ipsam, ratione objecti, et materiæ, circa quam versatur; sed etiam ratione sui, quia actio externa est, in qua quiescere potest, tamquam in re primo volita, secundum quod illa actio speciem talem habet in se, licet ab objecto depromptam. At vero ipse actus voluntatis elicitem, non potest esse primo volitus, ut objectum, quia solum reflexe potest esse volitus, et sic supponit directum, ut priorem, et antecedentem. Volitio autem directa oportuit, quod non haberet se ipsam pro objecto (quia non est volitio sui) neque alium actum voluntatis (quia non est volitio reflexa) sed aliquod objectum extra se: et ideo necesse est, quod primum appetibile, ut res, et ut objectum volitum, incipiat ab aliquo extra voluntatem, sive hoc quod est extra, si aliqua actio habens ulterius aliud objectum, seu materiam, circa quam versetur, sive non: nam etiam si aliud objectum habeat, non

tamen ab illo solam incipit primum appetibile voluntatis, sed etiam ipsa actio externa, appetibile primum esse potest ratione sui, quia aliquid extra voluntatem est; et non solum ratione sui objecti, seu materiæ circa quam est.

XIX. An vero possit actus aliquis a voluntate elicitus, non quidem primus omnium, sed alius postea eliciendus proponi, et amari a voluntate, tamquam finis ultimus, per reflexionem volendus, licet non sit primum appetibile, quia jam supponit aliud appetibile, attactum per volitionem directam, quæ antecedit, postea dicemus.

XX. Ad ea quæ obijciuntur ad probandum D. Thomam non loqui in ista solutione ad secundum, de fine ultimo formali, et ut quo, sed de fine objectivo, ut res, concedimus primum et secundum argumentum. Ad tertium autem, pro ea parte, quam dicit falso præsupponere D. Thomam, quod actio, quæ est finis ultimus, debet esse voluntaria; quia hoc videtur absolute præsupponi a D. Thoma, sive loquamur de fine quo, sive de fine qui, respondetur præsuppositum D. Thomæ ut ab ipso ponitur esse certum; non enim dicit, quod actio, quæ est finis ultimus debet esse voluntaria, sic enim currunt instantiæ in argumento allatæ, præsertim de fine ultimo, seu beatitudine formali, quæ est visio intellectus, et non est actio voluntaria; sed D. Thomas solum dixit, quod si qua actio humana sit ultimus finis, illa debet esse voluntaria, alias humana non esset; quod si est voluntaria, vel est a voluntate elicitæ, vel imperata, etc. Hoc autem certissimum est, quod si aliqua actio humana, est finis ultimus, voluntaria esse debet, cum non possit esse humana, seu moralis, nisi voluntaria: non autem dicit, quod actio quæcumque, quæ est finis ultimus, sit actio

voluntaria. Et hoc ideo, quia D. Thomas intendebat probare in illo argumento, quod omnis actio humana est propter finem, eo quod aliqua actio potest esse ultimus finis, et illa non erit propter finem. Respondet autem sanctus doctor quod actio humana, si esset ultimus finis, deberet esse voluntaria, voluntaria autem esse non potest, nisi vel elicitæ, vel imperata. Quare ad solvendum argumentum illud, quod procedebat de actione humana, dicendo, quod aliquando est finis, ergo non semper propter finem; occurrere debuit S. Thomas dicendo, quod humana, si est finis, debet esse voluntaria, non autem dicendo, quod omnis actio, quæ est finis ultimus, debet esse voluntaria; hoc enim nunquam dixit D. Thomas, nec suo instituto deserviebat, sed si actio humana est finis, quod illa debet esse voluntaria, utique quia humana est.

XXI. Ad quartum respondetur quod actio imperata a voluntate, licet sit dependens a voluntate, quoad sui exercitium, et executionem, tamen quoad specificationem sui, non semper dependet ab illa; et ratione illius specificæ bonitatis, potest voluntas illam actionem pro fine ultimo habere: sicut qui voluptatem ventris, seu actiones ipsas comedendi, aut generandi, habet pro fine ultimo (sicut de quibusdam dicit Apostolus: *Quorum deus venter est*) clarum est, quod actio illa generandi, aut manducandi, imperatur a voluntate, et ab ipsa dependet, quantum ad exercitium, et executionem; et tamen ponit in illa finem ultimum voluntas, quatenus ex specificatione sua, delectabilis est; et quod hoc non dependet a voluntate, quia illa actio non participat a voluntate delectationem, sed e contra voluntas pendet ab ipsa, ut ab objecto, et fine, a quo allicitur, et in

quo complacet. Ad id vero, quod inquiritur in argumento, cur non poterit aliquis ponere finem ultimum in actu elicitæ, sicut in actu imperato, verbi gratia, in aliqua fruitione, seu delectatione interna, in eaque sistere, respondetur posse quidem voluntatem per actum reflexum amare actum suum, et in illud tendere, tamquam in objectum. Cæterum non posset esse actus ille internus voluntatis, ab eaque elicitus, primum appetibile, et finis ultimus qui, seu objectivus: eo quod ille actus, est quoddam velle, et quoddam appetere, atque adeo supponit essentialiter aliquod appetibile, et sic in genere appetibilis, non potest ipsum velle, esse primum appetibile; essentialiter enim omne velle, et omne appetere, est circa aliquod objectum, ut appetibile, et sic repugnat, quod tale velle, sit primum appetibile, cum necessario supponat aliquod appetibile prius, nempe objectum illud, circa quod versatur. Si enim appetibile objectum non habet, nec amor est, cum nihil amet. Actio autem imperata alterius potentiæ præter voluntatem, non est ipsum velle, seu appetere, et sic potest esse primo appetibilis a voluntate (sive bene, sive male, in ordine morali procedat) et licet ipsa actio imperata alterius potentiæ, versetur circa aliquod objectum, quia omnis actio circa aliquid est, alias non esset actio, si circa nihil esset, et sic videtur, quod etiam ipsa non sit primum appetibile; dicitur tamen, quod actio illa alterius potentiæ, versatur quidem circa aliquod objectum, sed non prout appetibile, sed prout agibile, seu producibile, aut visibile, aut audibile, aut quomodocumque exteriori modo attingibile, et sic in ratione objecti agibilis, vel cognoscibilis, illa actio non erit primum, in ratione tamen objecti appetibilis,

non repugnat, quod ipsa actio externa sit primum, quia potest obijci sic ipsi appetitui, et ipsi velle, tamquam primo placens, et attacta in genere appetibilis. Ipsum autem velle, seu appetere, debet etiam in genere appetibilis aliquid præsupponere prius, tamquam objectum in linea appetibilis, non factibilis, vel visibilis, etc.

XXII. Quod si dicas, bene instat, quod aliquis ita sit affectuosus, quod solum appetat, et desideret amare, vel quod alter amet, non curando, quod amet hoc, vel illud objectum, sed tantum exerceri in amore, objectum autem, seu materiam amoris externam, omnino non curet, sed prorsus materialiter, et per accidens reputet illud, et solum id quod amoris est, et elicentiæ voluntatis appetat, quia valde afficitur ipsi potentiæ, ejusque exercitio, seu actui illi vitali: ergo tunc illud amare, et illud velle habebit rationem primi, et principalis appetibilis, seu finis, quia materia, et objectum talium actuum amandi non est principale, quod intendit, atque adeo neque finis, sed per accidens se habet erga ipsum, respondetur, quod ille qui sic vellet, desideraretque amare vago modo, et sine determinatione objecti, ita quod principaliter non intenderet objectum, sed actum, objectum vero solum ut quoddam requisitum ad actum, quasi materialiter appeteret, adhuc non respiceret ipsum amare, tamquam primum appetibile, et ultimum finem de facto, et in exercitio, et practice loquendo, licet speculative, et quasi in abstracto, aut apparenter videatur sibi solum diligere, et velle ipsum amare. Ratio est, quia licet in communi, et vage desideret amare propter amare, tamen quando postea in re, et de facto amat, necessario amat aliquod bonum, et allicitur ab illo, quia non potest intel-

ligi amor sine aliquo objecto, quod nullatenus se habet, ut conditio, sed ut specificativum, et formale, quia objectum est. Quando ergo aliquis vult amare, propter amare, et non propter objectum, sed objectum materialiter respicit, et ut conditionem, errat, atque decipitur in hoc, si quidem quando postea in re exercet amorem, elicitque actum voluntatis, non potest habere objectum pro conditione, sed pro specificativo, et pro appetibili, si quidem est objectum. Ergo practice, et in re fallitur homo ille, qui amat solum propter amare, ita quod objectum amoris habeat pro conditione, non pro appetibili, cum postea exercendo amorem, debeat illud pro appetibili habere, et pro objecto. Quod si habere pro objecto, et appetibili amoris, quando amare desiderat, jam ipse amor, et ipsum velle, non est primum appetibile, S. Thomas autem loquitur de actu elicitio, quod non potest esse ultimus finis, juxta naturam rei loquendo: si autem quis fallitur, et dicit se habere pro conditione, non pro fine, et objecto id, quod postea in re objectum, et specificativum est, iste practice, et in re non habet amorem pro primo appetibili, licet speculative, et quasi in abstracto videatur habere.

XXIII. Ad ultimum, quod objicitur ex his, quæ docet D. Thomas infra quæst. III, artic. IV, respondetur ibi loqui D. Thomam de beatitudine formali, seu fine ultimo quo, quia ibi loquitur de adeptione, seu consecutione finis, et inquirat, an consistat in actu intellectus, vel voluntatis? Ad illam vero consequentiam quam facit solutione ad secundum, quæ videtur difficilis, respondetur quod illa consequentia tenet in vi eorum, quæ supponit dicta in corpore articuli. Ibi autem ostenderit, non posse pertinere ad voluntatem actum illum, quo finis fit præsens,

et tenetur, seu possidetur; eo quod omnis amor, vel est circa objectum habitum, et possessum, vel nondum habitum. Sed circa nondum habitum, est desiderium, quod adhuc non tenet objectum: si circa habitum, jam supponit intentionem ejus, et sic ipse amor, non primo tenet, sed tento fruitur. Quæ consequentia quomodo teneat, et an possit instari, dicendo, quod ipse amor, est de objecto habito, per ipsummet amorem, dicemus sequenti disputatione tractando hanc ipsam difficultatem an consistat in actu intellectus, vel voluntatis beatitudo; certum est enim, quod amor ipse, cum sit inclinatio in objectum apprehensum, debet supponere apprehensionem factam de objecto in intellectu, si apprehensio intelligibilis est, vel factam per aliam potentiam, et per intellectum, propositam voluntati, ut fruatur illo: et ita per se ipsam voluntas exequi non potest, apprehensionem rei amatae, sed tantum pertinet ad ipsam desiderare, vel frui ipsa re proposita, et possessione executâ.

XXIV. Sed quod attinet ad præsens (quidquid sit de vi illius consequentiæ) nobis sufficit, quod in illa solutione ad secundum, D. Thomas recte intulerit, quod se beatitudo est objectum proprium voluntatis, sequitur quod non pertineat ad ipsam, tamquam actus ejus, nec beatitudo objectiva, neque formalis: et sic non procedit cum æquivocatione, si totum negat. Non pertinet beatitudo objectiva ad actum voluntatis, quia ut ostenderit in hac quæstione prima, artic. I, ad secundum actus voluntatis, non potest esse primum appetibile, seu finis ultimus qui voluntatis. Non potest pertinere beatitudo formalis ad actum voluntatis, quia ut ostenderit in illa quæstione tertia, artic. IV, in ipso corpore, tentio, seu assecutio, qua redditur

præsens finis voluntati, non potest esse ipse actus voluntatis: quia hic actus, amor est, qui solum potest tendere, vel ad finem habitum, vel non habitum: si ad non habitum, non est tentio finis, sed desiderium ejus: si habitum, supponit finis possessionem, super quam cadit fruendo, non finem ipsum assequitur. Ergo recte, et sine ulla æquivocatione, infert D. Thomas, quod si beatitudo est objectum voluntatis, beatitudo non est actus voluntatis; non solum beatitudo objectiva, sed etiam formalis; licet non innitatur eidem principio, sed quod non sit beatitudo formalis, inferatur ex eo, quod finis non potest fieri præsens, nec teneri per ipsum actum voluntatis, ut ibi præsupponebat probatum in corpore articuli; quod vero non sit beatitudo objectiva, ex eo quod actus elicitus voluntatis, non potest esse primum appetibile, et consequenter, neque objectum, ut probaverat in hac quæstione prima.

RECTE PROBAT D. THOMAS QUOD MOVERE SE IN FINEM, EST PROPRIUM RATIONALIS NATURÆ.

XXV. De hoc agit S. Thomas hic articulo secundo, et nos id ostendimus articulo præcedenti. Solum in præsentem advertimus duo. Primum est, quod ratio D. Thomæ in articulo secundo procedit in duplici consequentia. Prima pertinet ad agere propter finem absolute, secunda distinguit de duplici modo agendi; et unum attribuit solum creaturæ rationali, alterum etiam irrationali. Prima consequentia formatur sic ad probandum, quod omnia agentia agant propter finem: Inter causas ad invicem ordinatas, necesse est, quod subtracta prima, reliquæ subtrahantur; sed prima inter causas est finalis: ergo si illa subtrahitur,

non erit causa efficiens, si quidem ut determinatum effectum agat, dependet a causa finali, a qua determinatur ad aliquid certum. Minor probatur, quia materia non movetur ad formam, a se, sed ab agente, cum sit in potentia, et nihil movet, nisi ut in actu. Agens autem non movet, nisi ex intentione finis, quia nisi intendatur finis, non est aliquid certum, et determinatum, circa quod operetur, aut fortuito agat: ubi autem nihil est determinatum, non est operatio, ergo finis debet esse prima inter causas, quia movet agens ad operandum. Intelligitur autem, quod agens nihil determinatum agat, nisi ex intentione finis determinetur, saltem quoad specificationem; determinatio enim quoad individuum, licet requiratur ad operandum, tamen non est ex primaria intentione finis, et agentis, quod principalius intendit formam, et speciem, quam materiales conditiones individuandi. Et licet agentia sint determinata ad agendum, per naturam, et formam suam, in genere formali, et efficienti, tamen nisi ordinetur ad certum terminum, et finem, in individuo, quando movetur, et inclinatur ad agendum, non operabitur. Secunda vero consequentia formatur sic: Quia duplex est modus tendendi ad finem: uno modo, ut agens, et movens se ad finem: alio modo, ut actum, et motum ab alio, et non a se; sicut sagitta tendit ad scopum directâ a sagittante. Primo modo, movent se ad finem, quæ habent rationem, et dominium suorum actuum. Quæ vero ratione carent, non se movent ad finem, quia non cognoscunt rationem finis, et ideo nihil in finem ordinare possunt, sed solum ordinantur in finem. Quare natura irrationalis, solum est ducta, et mota ab alio in finem, non a se; sive moveatur in finem apprehensum, ut bruta, sive nullo mo-